

ad archetypa exactae, typis exscriberentur. In disponenda autem epistolarum serie ita versatus est, ut illas, quibus Linnæus diem adscribere, quod sæpe solebat, neglexit, probabili conjectura v. ex adscriptis a Jacquinio notulis ad suum tempus relatas reliquis intersereret; in exhibendo textu tali fide, ut penitus qualem Linnæus scripsit proponeret, nec mutatis, quibus scetet gravissimis mendis grammaticis: id quod editor facere et potest et debet, nostra aetate, quae quidem longe abest a stulta illorum hominum contentione, qui *Hallerum* graviter increpandum putarunt, quod in epistolis Linnæi »*vitia styli*« non correxerit. Et haec sunt quae in ejusmodi editione praestanda, hoc loco praestita fuerunt. Quas ego epistolis subjunxi adnotatiunculas, his libellum facile carere potuisse ultro largior; subjunxi tamen, inter legendum forte natas, cum nemini sint graves, nec modici voluminis molem augeant.

Nihil de *Linnæi* et *Jacquinii*, duumvirorum inter rei herbariae primates longe clarissimorum laudibus addo, nam fama volat per orbem et apud posteros duratura est. Jacquinii quidem memoriae egregie consultum est, elegantissima illa parentatione, quam vir magnificus Archiater caesareus *Joannes Nep. Eques a Raimann*, in Universitatis nostrae aula viginti et tribus ab hinc annis publice pronuntiatam, deinde typis dedit (*Rede zur Gedächtnisfeier des Nic. Jos. Freiherrn von Jacquin. Gehalten im Saale der hohen Schule am 9. Juni 1818 von Joh. Nep. Raimann. Wien, 1818. 4.*); vitae hi-